

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 2: De aliis peccatis Caput 19: De temptatione dyaboli (25)

Hugo de clastro anime:

Indicat dyabolus religionis formam, consuetudinem eiusdem, adversitates carnis. Ostendit enim propositi difficultatem, et cum hoc fecerit, quantum sit ad lapsum prompta humane nature fragilitas, ingerit, loci duritiam, vilium ciborum assiduitatem, laboris intollerantiam, prelatorum crudelitatem, fratrum discordiam, ponit ante oculos mentis. Addit autem et longa vigiliarum nocturnarum spatia, claustrum tedium, constitutas silentii horas, ieiunii diurnitatem, ac ciborum licet vilium subtractionem. Et ut virilius terreat, etiam si fieri possit, ad desperationem pertrahat, quod ex istis evenire malis queat, et dum hec omnia diligenter inquirat. Omnia ista imbecillitas carnis adversaria fore testatur, et verum dicit, si non voluntarie patimur ista, sed si voluntarie premium beatitudinis expectamus. Ex istis, egritudines insanabiles nascituras affirmat. Non esse bonum nature complexionem turbare, ex mutatione complexionum turbatio nature contingit, ex turbatione nature infirmitas, ex infirmitate mors. Ecce, fratres, dyabolus physicam docet, ecce medicus factus est, de complexionibus loquitur. Infirmitates diversas, si teneatur religio, predicat, sed quare hoc? Non ut mederi velit, sed ut occidere possit, non ut egritudinem curet, sed ut securus inferat mortem. Videt ex subtractione ciborum luxurie vires posse minui, et ideo non tardare minatur egritudinem, otium perire et somnolentiam destitui, et ideo laboris intollerantiam, et protensa vigiliarum spatia pretendit. Credit ex paupertate humilitatem mutari. Paupertas autem, ut ait Gregorius, bonis mentibus solet esse custos humilitatis. Et ideo querit occasiones quibus humilitatis impediatur adventum. Hec assidue claustralibus replicare non desinit, hec pluribus de renuntiatione mundi cogitantibus imponit. O caliditas antiqui hostis! O ingenium sine sapientia sed non sine malitia! Abstinenciam et ieiunium et cetera, que superius diximus, dampnat, et per ista naturam carnis deficere astruit, et superfluitatis vitium tacet, per quam natura suffocatur, aut excedit terminos suos. Ecce, fratres, debiliorem partem aggreditur, videlicet exteriorem hominem et hunc aggrediendo hiis alloquitur. Sed homo interior videlicet anima excecato tumultu minarum, sine mora socio ad defensionem adiungitur, et pigrum socium ne deficiat hortatur.

Docet qualiter sustinere debeat minas hostium, religionis bonum commendat, delectationis vero pessime vitium dampnat, monet eum, ne abhorreat fluctuationem vite huius, quia ad modicum tempus est, sed ponat ancoram spei in deo, et dicat illud psalmigraphi: Expectabo eum qui salvum me fecit a pusillanimitate et tempestate. Et illud: Non dabit in eternum fluctuationem iusto. Hortatur iterum illud, ne contristetur in exercitatione sua, ne conturbetur a voce inimici, et a tribulatione peccatoris, sed dicat: Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Hiis et aliis multis incitamentis homo interior consolatur exteriorem, licet cum eo impugnetur, et contristetur in exercitatione sua. Qui enim caritatem habuerit, antiqui hostis minas timere non poterit, quia caritas mittit timorem.

Inducit ei religionis formam et consuetudines ejusdem adversantes carni; ostendit ei propositi difficultatem. Et cum hoc fecerit, quantum sit ad lapsum prompta humane nature fragilitas, praetendit; vestis asperitatem, lecti duritiam, vilium ciborum assiduitatem, laboris intolerantiam, praelatorum crudelitatem, fratrum discordiam, mentis ponit ante oculos. Addit etiam longa vigiliarum nocturnarum spatia, claustrum tedium, constitutas silentii horas, ieiunii diurnitatem, et ciborum licet vilium subtractionem. Et ut gravius terreat, et si fieri possit ad desperationem pertrahat, quid ex istis evenire mali queat diligenter inquirat, et annuntiat. Omnia ista imbecillitati carnis adversaria esse testatur; et verum dicit, sed voluntarie patimur ista, quoniam ex his praemium aeternae beatitudinis expectamus. Ex istis egritudines insanabiles nascituras affirmat. Non esse bonum nature complexionem turbare, cum ex subtractione ciborum mutantur complexionem, ex mutatione complexionum conturbatio nature contingat; ex conturbatione nature infirmitas; ex infirmitate, mors. Ecce, fratres, dyabolus physicam docet: ecce medicus factus est, de complexionibus loquitur: infirmitates diversas, si teneatur religio, generari praedicat. Sed quare hoc? Non ut mederi velit, sed ut occidere possit: non ut egritudines curet, sed ut securus inferat mortem. Videt ex subtractione ciborum luxurie vires posse minui, et ideo non tardat minari egritudinem. Timet otium perire et somnolentiam destrui: et ideo laboris intollerantiam, et protensa vigiliarum spatia praetendit. Credit ex paupertate humilitatem nutriri, et ideo quaerit occasiones quibus humilitatis impediatur adventum. «Paupertas enim, ut ait beatus Gregorius, bonis mentibus solet esse custos humilitatis.» Haec assidue replicare claustralibus non desinit, haec pluribus de renuntiatione mundi cogitationibus anteponit. O caliditas antiqui hostis! o ingenium sine sapientia, sed non sine malitia! Abstinenciam et ieiunium, et caetera quae superius diximus, dampnat, et per ista naturam carnis deficere astruit, et tamen superfluitatis vitium tacet, per quod natura suffocatur, vel excedit terminos suos. Sic, o fratres, mundi hujus princeps homini exteriori, id est carni, per delectationem temporalium minatur ut terreat, sic locum munitiois aggreditur in quo novit esse debiliorem. Sed homo interior discretus et expeditus, scilicet anima, excitatus tumultu minarum, sine mora socio ad defensionem adiungitur, implens illud quod beatus Ambrosius dicit de arca Noe: «Boni custodis praesentia, inquit, ibi frequentior est, ubi muri fragiliores sunt.» Pigrum socium, ne deficiat, hortatur; Salomonis utitur consilio dicentis: *Fili, accedens ad servitutem Dei, praepara animam tuam ad tentationes (Eccli. ii); docet rationabiliter indiscretum, qualiter sustinere debeat minas hostium; religionis bonum commendat, delectationis vero pessimae vitium dampnat; monet eum ne exhorreat fluctuationem vitae hujus, quia ad tempus est, sed ponat anchoram spei, et dicat: Expectabo eum qui salvum me fecit a pusillo animo et tempestate, non dabit enim in aeternum fluctuationem iusto (Psal. liv). Hortatur iterum illum ne contristetur in exercitatione sua, ne conturbetur a voce inimici, et a tribulatione peccatoris, sed dicat: Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua (Psal. cxviii). Hiis et aliis multis incitamentis homo interior consolatur exteriorem, licet cum eo impugnetur, et conturbetur in exercitatione sui.... Qui enim caritatem habuerit, antiqui hostis minas timere non poterit, quia charitas foras mittit timorem (I Joan. IV).»....*